1860

Sujets des Conférences Ecclésiastiques du Diocèse de Québec, pour l'année 1860.

CONFÉRENCE DU MOIS DE JANVIER.

Paulus, filius unicus, forte comperit omnia bona patris sui ex titulo propter defectum occultum invalido, bona fide possideri. Pauci autem remanent dies ut tempus a lege ad præscriptionem assignatum compleatur. Hac occasione quæritur,

1o. *Undenam repetenda sit præscriptionis origo et liceitas?*

2o. *Quænam conditiones in ea requirantur?*

3o. *Quid respondendum Paulo consulenti utrum teneatur, nec-ne, patrem suum monere de defectu tituli antequam perficiatur præscriptio?*

QUESTION SECONDAIRE.

Sempronius parochus in missa utitur particulis jam a quadraginta diebus confectis et sacras species non renovat nisi singulo bimestri. Quæritur,

1o. *A quanto tempore confectas particulas consecrare liceat?*

2o. *Quoties in anno sint renovandæ sacræ species?*

3o. *An tuta conscientia possit Sempronius supra dictam praxim servare?*

CONFÉRENCE DU MOIS DE MAI.

Sempronius parochus arbitratur omnia baptismata domi collata in casu necessitatis ut dubia esse habenda; et consequenter, quoties ad ecclesiam defertur infans domi baptisatus, cum semper sub conditione baptisat, nulla præmissa inquisitione. Quadam autem die, comperit baptismum domi collatum cuidam infanti quem postea ipse jam sub conditione baptisavit, fuisse certo validum. Nunc anxius quærit a suo confessario,

1o. *An tuta conscientia possit in praxim deduci sententia quæ habet ut dubia omnia baptismata domi collata?*

2o. *An grave existat præceptum semper inquirendi de validate baptismi ita collati, et quænam regula sit tenenda post factam inquisitionem?*

3o. *An ipse factus sit irregularis?*

QUESTION SECONDAIRE.

Quæritur quomodo sit intelligenda et observanda in hac Archidiœcesi rubrica *Compendii ritualis romani* (pag. 153): " Peractis omnibus, Parochus " *manu sua* describat in libro Matrimoniorum nomina conjugum, et testium, et " alia juxta formulam præscriptam ; idque, licet alius sacerdos, vel a se, vel ab " ordinario delegatus, Matrimonium celebraverit."

CONFÉRENCE DU MOIS D'AOUT.

Petrus cum navis gubernatore convenit de viginti nummis recipiendis pro quodam opere conficiendo. Peracto opere et solutis viginti nummis, gubernator exigit ut Petrus scripto testetur se triginta nummos recepisse, scilicet ut excessum accipiat et pro se retineat gubernator quando domino navis computos reddet. Timet Petrus, si hoc testari recuset, ne ab illo gubernatore et ab omnibus aliis ejusdem professionis hominibus semper rejiciatur et sic ad mendicitatem reducatur quia nullus erit qui eum conducere velit. Insuper putat se hoc facere posse quia 1o. domini navium istius modi fraudem probabiliter non ignorant, et in eam consentiunt quia eam impedire non possunt; 2o. si ipse hoc facere recuset, multi alii id operari non erubescent, et ipse, quin impediatur damnum proprietarii navis, mendicare cogetur; 3o. de bono alieno nihil prorsus accipit. Postquam illud bis aut ter fecit, non tamen absque dubio, confessarium adit et quærit,

1o. *Quid censendum de variis illis rationibus ?*

2o. *An talis actus sit licitus ?*

3o. *An et cuinam teneatur restituere ?*

QUESTION SECONDAIRE.

Caius neo-presbyter domum reversus recordatur se omisisse unctionem pedum in administratione Extremæ Unctionis. Quæritur,

1o. *An teneatur totam formam et alias unctiones iterare ?*

2o. *An idem dicendum si omisisset aliam unctionem*, v. g., *oris vel oculorum ?*

CONFÉRENCE DU MOIS D'OCTOBRE.

Caius mercator paulo carius merces suas vendit cum expressa conditione quod pretium solvendum sit infra annum. Elapso hoc termino, debitoribus insciis, in pretio quod postea exigit, computat etiam interesse juxta taxam ordinariam, habita proportione ad dilationem solutionis post annum.

1o. *Licet-ne vendere carius propter dilationem solutionis ?*

2o. *Potest-ne exigi interesse ab inscio ?*

3o. *Quid consulendum Caio sive quoad præteritum, sive quoad futurum ?*

QUESTION SECONDAIRE.

Circa aspersionem aquæ benedictæ faciendam singulis diebus dominicis, quæritur,

1o. *An sub gravi præcipiatur aquam novam benedicere singulis dominicis, antequam fiat aspersio ?*

2o. *An benedictio et aspersio possint fieri ab alio sacerdote præter eum qui missam celebraturus est ?*

3o. *An sacerdos aspergens teneatur recitare totum psalmum "Miserere" ?*